P. FRANCISCI ZINI VERONENSIS DE LEGUM ET IURIS LAUDIBUS ORATIO PATAUIJ HABITA...

Pietro Francesco Zini

Digitized by Google

39

P. FRANCISCI
ZINI VERONENSIS
DE LEGVM ET IVRIS LAVDIBVS
ORATIO
PATAVII HABITA
XV. KALEN. NOVEMBRIS
MDXLVIIII.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖσσον ἢ νόμοι πόλει.

INVIDIA

FORTITVDINE



SVPERATVR

Patauij Iacobus Fabrianus Excudebat
V. Kal. Decemb. MDXLIX.

Digitized by Google

OPTIMO ATQVE ORnatiſsimo iuueni Antonio Giberto Equiti Petrus Franciſcus Zinus S. D.

IN hoc ampliſsimo, & abſolutisſimo ſummi Dei opificio, quod cœlum, ſeu mundum dicimus, nihil eſt homine admirabilius: in homine nihil diuinius animo: in animo uirtute nihil pulchrius, nihil amabilius. Ex qua cùm plurimi atq; ſuauisſimi fructus proueniant, nullus tamen aut melior, aut dulcior eſt affectione illa, qua homines & inter ſe coniũguntur, & cum ipſo Deo. Quo quidem neceſsitudinis uinculo nec eius bonitati gratius: nec nobis utilius quicquam eſſe poteſt. eo nanq; felices efficimur. Ac tametſi ad hanc ſiue pietatem, ſiue beneuolentiam, ſiue amicitiam natura propenſi ſumus, ab ea tamen & malitia, quam ex primis parentibus hauſerũt maiores noſtri, noſq; deinceps ex illis perpetua quadam ſerie contraximus, & praua tum educatione, tum cõſuetudine, atq; alijs multis impedimentis auocamur. Quamobrem tam multæ diuerſis temporibus neceſſariò latæ ſunt leges, quæ nos & à uitijs abducerent, & ad uirtutem colendam inuitarent, atq; cõpellerent. Quarum tamen legum ſplendore cum latentia hominum flagitia deprehenderentur, & animorum morbi detegerentur potius, quàm curarentur, ipſe Dei filius incredibili, ac nimio propemodum amore compulſus mortalem induit hominis formam, atq; acerbisſimos cruciatus mortẽq; ſubijt, ut nos uel proprio ſanguine à maculis omnibus ablueret, mundoſq;, ac inter nos conciliatos cœleſti patri cõmendaret, beatoſq; redderet. Cuius profectò maximum ac ſingulare beneficium ſi agnoſceremus, nullis amplius, aut certè paucisſimis legibus egeremus. Mandatum enim illud, quod unicum nobis, ac facillimũ dedit, ut inter nos diligamus, ad quod obſeruandum nos & humanitas ducit, et ratio cõpellit, & utilitas rapit, legũ omniũ inſtar eẽt. Ex quo fieret, ut inuiſis illis uocibus MEVM TVVM e medio ſublatis non modò ab omnibus quiſq; malefactis ſponte ſua libentiſ-

ſimè temperaret, ſed pulcherrima quædam de omnibus benemerendi contentio uſurparetur, qua, quo melius de altero quis meritus eſſet, eo cenſeretur eſſe præſtantior. Atq; ita non tam Platonico, quàm ue- rè Chriſtiano inſtituto omnia eſſent omnium communia, & orbis hic uniuerſus una amicorũ reſpublica, una ciuitas, uel una potius domus exiſtimaretur, in qua mutua fraternaq́; beneuolentia deuincti patrem unum Optimum Maximum Deum in ſumma pace, lætitia, & rerum omnium copia degentes coleremus. Qua quidem ex re tum incredibi- le cœleſtis ipſius noſtri parentis gaudium, tum uera noſtra felicitas, & ſumma rerum omnium perfectio naſceretur. Verùm quia pleriq; omnes Diuinam illius benignitatem contemnimus, & naturæ repu- gnamus, & imperfecti cum imperfectis hominibus uiuimus, iccirco ſi ullo unquã tẽpore, nũc quàm maximè neceſſariæ ſunt leges, quæ & bonos, ſi qui ſunt, tueantur: & improbos tum metu pœnæ, tum præ- mij ſpe, & à delictis auocent, & ad rectè faciendum impellant, & o- mnibus deniq; ad bene beateq́; uiuendum uiam utcunq; monſtrent ac muniant. Has ego leges, dum tu maximis diſtrictus occupationibus in patria detineris, Antoni Giberte chariſſime, precibus amicorum ad- ductus in Academia Patauina publicè laudaui. Quam quidem oratio- nẽ, cùm à multis aſſiduè flagitaretur, nec illis alio pacto facilius mos geri poſſet, typis excudendam & nomini tuo conſecrandam curaui- mus. Quod ſanè munus tibi humaniſſimo, meiq́; ſtudioſiſſimo iuueni uel eo nomine debebatur, quòd tua cauſa potiſſimum atq; conſilio Iu- ris & Legũ ſtudia complexus ſum: gratum autem, & iucundum fo- re non dubito, cùm & eius diſciplinæ, quam colis, laudes contineat, et ab animo tui amãtiſſimo proficiſcatur, cui nihil antiquius ſit, quàm ut amicitia noſtra uirtute, morumq́; ſimilitudine, ac dulciſſimis ſtudio- rum uinculis inſtituta, perpetuaq́; uictus conſuetudine, & plurimis tum officijs mutuis, tum meritis erga me tuis aucta, et cõfirmata ho- neſto aliquo teſtimonio memoriæ commendetur hominum ſempiternæ. Quòd ſi monumentis noſtris tempus edax inuiderit, uoto certè tã pio alijs rationibus fauebit Deus, quem pro tuarum rerum ſucceſſu pre- cari non deſino, ut iſs tandem e ſententia tua feliciter conſtitutis, ad nos, qui tui nimis iã diuturno, et incredibili tenemur deſiderio, ſaluus & incolumis reuertare. Vale. Patauij V. Kalen. Decembris. MDXLIX.

STEPHANVS CA-
ſtellanus.

Vatès, Calliope, tuus
Purum faginea de patera merum
Ad fontis liquidi caput
Fundit, ſolicita teq; uocat prece:
Orat non tripoda aureum,
Armenta aut Calabris pinguia ſaltibus,
Nec Leſtrigonio ſibi
Languentis dolio munera Maſſici,
Agnam aut uelleris aurei,
Et quodcunq; metit non piger Appulus,
Vitæ ſed faciles ſuæ
Curſus, & cytharæ carmina nobilis,
Quæ ZINVM ætheria ſuum
Diuûm in ſede locent. Muneris hoc tui eſt,
Alma ò Calliope, optimus
Quòd ZINVS digito prætereuntium
Muſæ Mæoniæ arbiter
Monſtratur, Latiæ maximus & pater,
Vrbem dum Pataui tenet
Orando, atq; bonis ille uiris placet,
Sic ſacro capiti decus
Immortale ſuo, ſic Patriæ parit.

Digitized by Google

PETRI FRANCISCI ZINI VERONENSIS DE IVRIS ET LEGVM LAVDIBVS.

ORATIO.

MOMVS ILLE, QVEM ſomno nocteq; parentibus genitum doctiſſimè fingit Heſiodus, Reuerendiſſime Antiſtes, Clariſſimi Prę ſides, Rector Magnifice, viri ſapientiſſimi, generoſſimi ac nobiliſſimi adoleſcentes, cùm ipſe nihil ageret, Deis reliquis obtrectare, & eorum opera carpere nunquam deſiſtebat. Cuius improbitate offenſus Iuppiter, eum (vt opinantur nõnulli) è Deorum cœtu detruſum in terris relegauit. Vbi minutus iſte Deus, ſi tamen Deus, ac nõ malus genius dicendus eſt, Inuidia in matrimonium ducta, breuiſſimo temporis ſpatio filiis & nepotibus vniuerſum terrarum orbem ſic occupauit, vt nulla iam ſit regio, nulla ciuitas, nulla domus, in qua non iſtius malignæ ſtirpis multę reliquiæ ſint, quæ maioribus ſuis per q̃ ſimiles nihil non carpunt, in conuiuiis rodunt, in circulis uellicant, non Diis deniq; non hominibus parcũt. Ab iſtis cùm optimis quibuſq; de rebus, tum etiã

(ſi Deo placet) de diuina iuris & legum maieſtate detrahi non eſt obſcurum. Quorum maledictis ne forte ſimplices iuuenum animi, qui tam præclarę diſciplinæ aut initiandi, aut iam initiati ſunt ſacris, ab optimo propoſito deterreantur, utq; perſpecta illius pulchritudine, & qui eã hactenus non amarunt, deſiderio ipſius incẽdãtur, & qui eius amore flagrant, multo vehementius inflammentur, cùm alia multa maiores noſtri, tũ illud ſapientiſſimè conſtituerunt, vt quotannis, priuſq̃ Doctores incipiãt publicè profiteri, ipſius laudes in hoc templo cõmemorentur. Quod quidem munus utrũ pulchrius, an difficilius ſit, haud facilè dixeris. Ego certè, cui hoc anno demandatum eſt, nunc in tam amplo ſacroq; loco me frequentiſſima eruditiſſimorum hominum corona ſeptum uidens uehementer commoueor, & toto corpore contremiſco. Quòd ſi aut doctrina, quæ in me nulla eſt, aut ingenio, quo minus etiam quàm mediocri præditus ſum, confiſus huc acceſſiſſem, & oneris magnitudine, & tam acri auditorũ iudicio perterre factus planè deficerẽ. Verùm quoniam & Diuini Numinis, cuius auguſtiſſimo in tẽplo ſumus, auxilio, & veſtra omnium benignitate fretus hanc prouinciam cepi, aliquantulum recreor atq; confirmor. Cùm igitur meæ tum animi tum corporis vires tam exiguæ ſint, vt illis inniti

nec debeam nec poſsim, præclara ſapientis illius Philoſophi voce, qua omnibus in rebus Diuinã opem petendam cenſet, admonitus, id quod ſummo etiam ingenio doctrinaq; ornatus facere debuiſſem, multo libentius & alacrius facio, teq; ò Iuſtitiæ Sol, ò vnice legum author & conſeruator Deus Optime Maxime I E S V precor, vt mihi adſis, atq; ita faueas, vt & rei, & loco, & tãtæ de me neſcio quo modo iam concitatæ expectationi aliqua ſaltem ex parte ſatisfaciam, ne ego planè imbecillus, ſi auxilio tuo ſim deſtitutus tã graui onere oppreſſus ſuccũbam. Vos autem omni laudum genere præſtantes viri etiam atq; etiam oratos velim, vt me cùm natura timidũ, tum muneris huius amplitudine, veſtraq; præſentia magis etiam formidantem humanitate ſolita ſubleuetis, mihiq;, dum ex innumerabilibus, quæ de legum excellentia atque præſtantia dici poſſent, pauca quædam breuiter attingo, moreq; haud ita fortaſſe vulgato, nihil eis nobilius eſſe, nihil vtilius, nihil magis neceſſarium conor oſtendere, & animis, & linguis, & auribus faueatis. Orbem hũc, cui ab ornatus pulchritudine Greci nomẽ impoſuerunt, quemq; nos item à perfecta abſolutaq; elegantia Mũdum appellauimus, & ea, quæ in ipſo ſunt omnia, nulla neceſſitate coactus, creauit Deus, non vt ex rebus à ſe procreatis commodi

Digitized by Google

aut emolumenti quippiam perciperet, ſed potius vt illis immenſæ bonitatis ſuæ diuitias imperti-ret. Nam, quæ ex nihilo fecit, ſingulariter diligit, & in ſuo quæq; genere perfecta beataq́; eſſe cu-pit. Itaque cunctis pro ſuo cuique modulo natu ræq; gradu non ſolum felicitatis cupiditatem in didit, verùm etiam illius aſſequendæ ratione͂ ad iecit. Quapropter & cœlitibus illis, quos Diui næ amplitudini, quoad fieri potuit, proximos eſſe voluit, ſummum quendam amorem & obſeruan-tiam ingenuit, quibus ab ipſo Deo ſe dependere perſpicientes authorem ſuum libenter agnoſcant, eumq́; ſingulari beneuolentia proſequentes æter-no æuo feliciſſimi perfruantur. Nam qui ex eoru͂ numero aliter olim fuerunt animati, ad inferos ex truſi ſunt in miſeriam ſempiternam. Cœlos autem ita fabricatus eſt, vt & primum illud quod ui, co͂ plexuq́; ſuo celeritate incredibili reliquos ambi-ens rapit, vnico tantum motu, & alii pluribus q-dem ac variis, ſed nunquam fallentibus dum aſ-ſiduè circumuoluuntur, perpetuam, ſibiq́; conue-nientem quietem acquirant. Idem de ſempiter-nis illis ignibus, quæ ſydera & ſtellas nuncupa-mus, intelligo, quæ tum luce; tum motu, alia qui dem cœli motui non diuerſo, in quo fixa ſunt, a-lia inceſſu quodam libero, errantibusq́; perſimili, vnde nomen etiam ſortita ſunt, quanuis eorum

curſus

Digitized by Google

curſus certiſſimus ſit, nec illis quippiã minus erret, & vitam & vitæ neceſſaria cuncta nobis tribuunt. Præſertim duo illa planè ſalutaria lumina, quorum alterum luce lucẽs alterius, diuerſaq́ꝫ diebus ferè ſingulis forma mortalibus ſplendens, noctis tenebras vtcunqꝫ diſcutit. Alterum rerum omnium longè pulcherrimum, mundi ipſius veluti animus ac mens, tenebras expellẽs, lucemq́ꝫ rebus miniſtrans ſolum apparet, ex quo Sol etiã nuncupatur. Vtraque verò vices temporum, & menſes, & annum ſemper renaſcentia ex vſu naturæ temperant, atqꝫ ita dũ inſtinctu diuino nobis maxima & plurima præbent gaudia atqꝫ cõmoda, ipſa quoque ſua, eaq́ꝫ perpetua gaudent felicitate. Quid de elementis dicam? nonne ipſa quoque vim illam ſibi à Deo inditam ita ſequũtur, ut nunquam omnino conquieſcant, niſi ad ſedes ſuas, vel ſuperiores, ſi leuia ſint, vel inferiores, ſi grauia, peruenerint? Me dies ipſe deficeret ſi & in iis, quæ in ſublimi fieri videmus, & in animantibus, quæ vel in aëre, vel in aquis, vel in terra vitam degunt, & in plantis, & in iis, quæ terræ viſceribus generantur, idem perſequi vellem. Cæterùm, quoniam ad alia feſtinat oratio, hæc quanuis auditu iucunda ſint, vobis conſideranda relinquam, & de homine tantum loquar. Neque enim veriſimile eſt, Deũ Optimum Maximũ

cùm reliquis rebus deſiderium illud & rationem propriæ felicitatis aſſequēdæ tribuerit, hominē, cuius gratia procreauit omnia, neglectum reliquiſſe. Ingentem igitur in eius animo veræ beatitudinis cupiditatē inſeruit, id quod vnuſquiſque noſtrum in ſe facilè animaduertit. Et quoniam inanis eſſet eiuſmodi affectio, ſi, quod optamus, nunquam aſſequeremur, adipiſcendi felicitatem optatam nobis poteſtatē adiũxit. Etenim, cùm virtus ipſa ſit vnica ad felicitatem via, quoſdam in animo cuiuſque accendit igniculos, quibus ad Iuſtitiam, ad modeſtiam, & reliquas virtutes colēdas inflammamur, à vitiis autem abſtrahimur, & remouemur. Verùm hoc ab aliis rebus diſtamus, quod illæ vim à Deo ſibi inſitam ſequuntur, atque ita, niſi externum aliquod impedimentum obſiſtat, finem ſuum ſemper adipiſcuntur. Nos autem quoniam excellenti quadam ratione liberos eſſe ſtatuit, cùm nullis externis cauſis impediri poſſimus, quin optato fine potiamur, ipſi tamen nobis & obſtare poſſumus, & frequenter etiam (quis credat?) obſtamus, quo minus felicitatem noſtram conſequamur. Vis igitur hæc, quam cùm rebus omnibus, tum homini in primis diuerſa tamen cōditione largitus eſt Deus, æterna quædam lex eſt, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetq́ contraria. Hæc non gen-

tes

Digitized by Google

tes modò, ſed orbē vniuerſum regit. Sine hac nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Ad hanc leges hominū diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, & defendunt ac tuentur bonos. Nam quæ illi repu gnant, ne legis quidem dignę ſunt nomine. De hac igitur lege, deq; illis omnibus, quæ legi huic conſentaneæ ſunt, loquimur, has commendamus, his nihil præſtātius, nihil vtilius, nihil magis ne ceſſarium affirmamus. Quòd autem nobilitate re bus omnibus antecellant, (vt ad illud, quod pri mo loco dicendum propoſuimus, aggrediamur) facile intellexit vates ille Platonis teſtimonio ſa-pientiſſimus Pindarus, à quo lex πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων appellatur. Qua quidem lau-de, vt ego ſentio, nulla maior excogitari poteſt. Etenim cùm nomen ipſum Regium ſacroſanctū atq; ampliſsimum ſit, inter Reges autē, quo quis antiquior eſt, pluresq; ac præſtantiores Imperio ſuo ſubiectos habet, eò nobilior exiſtimetur, quid lege nobilius, quid præſtantius inueniri, fingiue poterit, quæ, ſi Poëtæ ſapiētiſſimo credim[9], omni um tum mortalium, tum immortaliū Regina ſit? Taceāt igitur reliquæ omnes artes, & ſcientiæ, & diſciplinæ, ne ſupra fortunam ſuam elatæ ac tu midæ, Reginæ Legis maieſtatem minuentes iure

Digitized by Google

plectantur, vt perduellonis reæ, vel taceant po-
tius earum fautores. Nam facultates ipſæ mode-
ſtiſſimæ ſunt, Reginamq; ſuam agnoſcunt, & ob-
ſeruant vt debent. Illaq; viciſſim eas, non iam vt
ſubditas, ſed vt ſorores chariſſimas amat, atq; cō-
plectitur. Quamobrem hic nullus expectet à no
bis, vt in Philoſophiam, in Medicinam, in rem
militarem, atque oratoriam, & alias artes inue-
hamur. longè enim abſumus à nōnullorum lau-
dantium ſententia, & conſuetudine, qui nec Phi
loſophiam, nec Medicinam, nec ullam aliarū ar-
tium à ſe laudari poſſe putant, niſi in Iuriſpru-
dentiam ingens maledictorum, & calumniarum
virus effuderint, nec rurſus Iuriſprudentiam cō-
mendari, niſi diſciplinis reliquis maledixerint.
Ego verò me Legum cauſam prodere exiſtimarē,
ſi, dum illas laudo, cæteras diſciplinas vitupera-
rem, & eos præuaricatores quodammodo iudico,
qui hanc inſectantur, vt ſuas extollant. Sic enim
artes omnes, ac ſcientias inter ſe coniunctas eſſe
cenſeo, vt vnam laudare non poſſis, quin cæteras
laudes nullam vituperare, quin de reliquarū digni
tate multū imminuas. Etenim ſi ex vberrimo Phi
loſophiæ fonte diſciplinæ emanāt omnes, vt olim
Philoſophiam laudantes expoſuimus, quis non
videt Philoſophiam ipſam, vt matrem pulcherri
mā, ac pudiciſſimam non poſſe non indignari, ſi à
quopiam

Digitized by Google

quopiam ita laudetur, vt interim cogatur audire in Iuriſprudentiam, aut reliquas filias ſuas ſibi et pudicitia & venuſtate ſimillimas maledicta iactari? itemq́ Iuriſprudentiam nō poſſe æquo animo pati, ſe vel ſummis laudibus in cœlum tolli, ſi vel parentem chariſſimam Philoſophiam, vel ſorores coniunctiſſimas ſentiat contumeliis affici? Neq; id à me aſtutè fieri aut dici quiſquam putet, vt hoc pacto de Philoſophiæ & optimarum artium laudibus in Iuris & legum gloriam aliquid deriuetur, quaſi leges ipſæ à propriis ſint laudibus excluſæ, ſi ſeparatim conſiderentur. Ego verò ita loquor, quoniam ſic res habet, atq; ita ſentio, neque aliud in pectore clauſum, aliud in lingua ꝓmptum habeo. Quòd ſi mihi non deſid, quod libētiſsimè debes concedere, legesq́ ipſas à Philoſophia fluxiſſe neges, facilè oſtendam, aut verā Philoſophiam legibus contineri, aut leges ipſas modis omnibus tum Philoſophiæ, tum reliquis artibus & diſciplinis anteire. Quem quidem locū paucis & quàm modeſtiſſimè tractabo, ne in quo alios non laudo, id ipſum videar imitari. Nemo eſt, qui dubitet, cùm Philoſophiam dicimus, eam potiſſimum intelligi, quam è cœlis ad homines deduxit Socrates, eam nimirum, quæ mores inſtruit, quæ homines beatos reddit. Quod ſi ita eſt, quis non intelligit, legum diſciplinam illud potiſſimū

agere, vt cœtus hominum quàm emendatiſſimis moribus ornati in pace beatiſſimi vitam degant? Vt non immeritò dicat noſter ille doctiſſimus
" Vlpianus: Ius eſt ars boni & æqui, cuius meritò
" quis nos ſacerdotes appellet, iuſtitiam nãque co
" limus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum
" ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcer-
" nentes, bonos non ſolum metu pœnarum, verum
" etiam præmiorum exhortatione efficere cupien-
" tes, Philoſophiam non ſimulatã affectantes. Hęc ille. Quòd ſi Philoſophiam tuam à noſtra diuerſam eſſe pertinacius pergas contendere, quid eſt, amabò te, quod de iſta tua dici poſſit, aut de Medicina, aut de Militari, Oratoriáue facultate, (quandò quatuor iſtarum diſciplinarum cultores in primis eas Iuriſprudẽtiæ pręponunt.) quin idẽ ac multo quidem cumulatius in hac noſtra repeꝛiatur? Philoſophia (inquies) Platonis, & Ciceronis teſtimonio, nõ ẽ hominũ inuẽtũ, ſed donũ Dei. At idẽ Plato nõne primũ librũ de legib⁹ exordiẽs.
" θεὸς ἤ τὶς ἀνθρώπων ἡμῶν (inquit) ὦ ξένε εἴληφε τὴν αἰτίαν
" τῆς τῶν νόμων διαθέσεως; Cui reſpondens Clinias θεὸς
" (inquit) θεὸς, & reliqua, quibus legum authorem Deum eſſe ſignificat? idem in Protagóra, ac multo quidem euidentius facit, cùm reliquis à Prometheo diſciplinis & artibus excogitatis, pudorem, iuſtitiam, & legẽ ſingulis hominibus à Ioue

per

Digitized by Google

per Mercurium attributas oſtendit. Cicero vero
ſed anteq̃ M. Tullii teſtimonium afferam, audite
quæſo, diuina Demoſthenis verba, quibus legē
omnem Deorum inuentum, ac munus eſſe dicit,
decretum autem hominum prudentum, flagitio-
rū quę vel temerè, vel cōſultò patrātur, emēdatio-
nē & cōem cōſenſum ciuitatis, cui oēs obtēpera-
re cōuenit, ad cuius normam ciues omnes decet
vitā inſtituere, ſic enim inquit ipſe Demoſthenes:
καὶ τοῦτ' ἐστὶ νόμος. ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλὰ καὶ μά-
λιστα, ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρο-
νίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρ-
τημάτων, πόλεος δὲ συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν
τοῖς ἐν πόλει. Quid? quod idem alibi Mundum vni
uerſum, & res Diuinas, & anni tempora guberna-
ri aſſerit lege & ordine? quo quidem loco ſcitè
videtur legis Etymologiam indicare. Vt enim
latinis à legendo, ſic græcis à diſtribuendo lex di
citur, vt quemadmodum nos prudentiæ atq; de
lectus, ſic illi nō modò æqtatis (vt ſcribit Cicero)
ſed ordinis vim in lege ponant. Sic aūt habēt De
moſtenis verba. καὶ τὸν ὅλον κόσμον, καὶ τὰ θεῖα, καὶ τὰς κα-
λουμένας ὥρας νόμος καὶ τάξις, εἰ χρὴ τοῖς ὁρωμένοις πιστεύειν,
διοικεῖν φαίνεται. Sed iam eloquentiæ parentem
audiamus, qui nō modò Deum hominibus largitū
eſſe legē fatetur, ſed rationem, & mentē ipſius Dei
legem eſſe declarat. Cuius quidē verba quoniam

prudentiſſima ac ſuauiſſima ſunt, & ad legum di
gnitatem maximè ſpectant, perpendite, quæſo,
" diligenter. Hanc (inquit ille) video ſapientiſſi-
" morum fuiſſe ſententiã, legem neq; hominum in-
" geniis excogitatam, neq; ſcitum aliquod eſſe po
" pulorum, ſed æternum quiddam, quod vniuer-
" ſum Mundum regeret, imperandi prohibendiq;
" ſapientia, ita principem legem illam & vltimam
" mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogen-
" tis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam Dii
" humano generi dederunt, rectè eſt laudata. Et
" paulo poſt. Sed verò intelligi ſic oportet, & hęc,
" & alia iuſſa ac vetita populorum vim habere, ad
" rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi. Quæ
" uis non modo ſenior eſt, quàm ætas populorum
" & ciuitatum, ſed æqualis illius cœlum atq; terras
" tuentis & regentis Dei. Neq; enim eſſe mens Di
" uina ſine ratione poteſt, neq; ratio Diuina nõ hãc
" vim in rectis prauiſq; ſanciendis habere. Nec
" quia nuſquam erat ſcriptum, vt contra omnes ho
" ſtium copias in ponte vnus aſſiſteret, à tergoq;
" pontem interſcindi iuberet, idcirco minus Cocli
" tem illum rem geſſiſſe tantum fortitudinis lege,
" atq; imperio putabimus. Nec ſi regnante Tar-
" quinio, nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris,
" iccirco nõ contra illam legem ſempiternã Sextus
" Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attu

lit.

lit. Erat enim ratio profecta à natura, & ad rectè ,,
faciendum impellens, & à delicto auocans, quæ ,,
non tũ deniq; incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed ,,
tum, cùm orta eſt, orta autem ſimul eſt cum men ,,
te Diuina. Poſtrema hæc verba (quæſo) memoriæ
commendate. Orta autem ſimul eſt (inquit) cum ,,
mente Diuina. Quamobrẽ lex vera atq; princeps ,,
apta ad iubendum, & ad vetandum, ratio eſt re ,,
cta ſũmi Iouis. Hactenus Cicero. Hic mihi tem- ,,
perare non poſſum, quin eloquentiſſimi etiã illius
L. Craſſi. ſententiam in medium afferam, qui, fre
mant omnes, inquit, licet, dicam quod ſentio. Bi ,,
bliothecas mehercule omniũ Philoſophorũ vnus ,,
mihi videtur xii. tabularum libellus, ſiquis legũ ,,
fontes & capita viderit, & authoritatis pondere, ,,
& vtilitatis vbertate ſuperare. Quòd ſi libellus
ille tãti æſtimabatur ab eo viro doctiſſimo, quãti
tandem facienda nobis eſt æterna lex illa, cui oĩa
parent? quæ bonarum omnium legum fons eſt?
Quanti Pandectæ illæ verè aureæ? quanti Cano
nes ſacri planè cœleſtes, quibus omnis ſapientia,
omne diſciplinarum genus continetur, vt aliàs à
nobis fortaſſe commodius demonſtrabitur? Nũc
enim ex iis, quæ diximus, ſatis ſit, iam eſſe per-
ſpicuum, Legem veram eſſe ac minime fictã phi-
loſophiam, nec ſolum Diuinum munus, vt ſuam
iſti dictitant, verum etiam mentem, & rectam ra-

Digitized by Google

tionem ipſius Dei. At Medicinę ſtudioſi mihi ſta-
tim Apollines & Æſculapios obiicient, eamq́; di
cent non ſolum à Diis profectam, ſed Deorũ cau-
ſam extitiſſe. quibus, & ſi ex iis, quæ modò cõ-
memorauimus, ſatis reſponſum exiſtimo, tamen,
vt paulo planius agam, illi Iuriſperitiã nullo pa-
cto cedere reſpondebo. Quòd ſi Deos ipſi habẽt
inuentores, nos item ſemper apud omnes gentes
Deos fuiſſe legum authores aſſerimus. Nam Zo-
roaſter Bactrianis Perſisq́; leges tradens, nonne
illarum inuentionem in Oromaſim Deum retu-
lit? Triſmegiſtus Ægyptiis in Mercurium? Cha
rondas Carthaginienſibus in Saturnum? Draco
& Solon Athenienſibus in Mineruam? Numa Põ
pilius Romanis in Ægeriam? Maumeth Arabi
bus in Gabrielem? Zamolſis Scythis in Veſtã?
Plato Magneſiis & Siculis in Iouem & Apolli-
nẽ? Minos Cretenſibus in eundem Iouem? vt in-
terim cùm alias multas, tum leges etiam illas ta-
ceam, quæ omnium aut ſolæ, aut certè præcipuè
ſunt collaudandæ, quas ipſius Dei digito cõſcri-
ptas Magnus ille Moſes Iudæis tradidit, & quas
Deus ipſe noſtram mortalem hanc formam indu-
tus, ore illo ſuo cœleſti nobis tulit. Quid? quòd
Iuriſprudentiam profeſſi non ſolum poſt mortem
magnos atq́; Diuinos honores adepti ſunt, vt
Æacus, vt Minos, vt Rhadamanthus, qui apud
inferos

Digitized by Google

inferos conſtituti ſunt iudices, vt alii multi, ſed hic viuentes coluntur vt Dii? Quid enim aliud ſunt Iuriſconſultorum domus, quàm ipſarum oracula ciuitatum? Quæ cum ita ſint, nihil eſt, cur Iuriſprudentiæ Medicinam anteponant. Sed quemnam ego armorum ſonitum, atq; clangorem tubarum exaudio? auditis nè vos fortiſſimi viri? Certè res eſt militaris, quę plurimis ſtipata ſatellitibus magno cum impetu contra nos ruit exclamans.

" Degeneres animos timor arguit: atq; timorem ſilētiū: leges autē inter arma ſilent. Quid hic agemus cōmilitones generoſiſſimi? Cedemus ne, & ab iectis haſtis committemus nos fugę? Abſit, vt tantum facinus admittamus, Reginamq; noſtram in prima acie intrepidè pugnantem deſeramus. Audite igitur quid illa pugnans, rei militari & quãta cum grauitate reſpondeat.

" Quid me alta ſilentia cogis

" Rumpere, ars militaris? Vos autem, ò milites, ſi tamen hoc nomine digni eſtis, qui contra ſacramēti religionem, & diſciplinæ militaris leges ſeditionē cōcitaſtis, id mihi reſpōdete. O ẽsne, an aliquę leges ſilēt inter arma? ſi aliquę tantū, quomō leges ſilent? ſin omnes, vbi erit illa ipſa diſciplina militaris, quæ tota legibus, & iis quidē ſeueriſſimis conſtat? Cæterùm, vt paucis rem vobis aperiã atq;

explicem, diſcite, boni viri, non modo meas leges armis non cedere, ſed arma ſine legibus nihil poſſe, ſiue pro iuſtitia, ſiue cōtra iuſtitiam (quod incredibile videatur) ſumpta fuerint. Sine meo nanq; imperio & iuſſu nec ſuſcipi, nec geri, nec cōfici bella poſſunt, id quod & fœciales mei, penès quos pacis belliq; faciendi ius eſt, & ſacramenta, quibus vos milites obligamini, & prꝣmia, quibus fortes & ſtrenui afficiuntur, & pœnæ, quibus ignaui plectuntur, & deſertores, & conditiones ac leges, quas victores victis imponitis, facilè declarant. Deniq; nec pax vnquam amittitur, niſi noſtræ aliquæ frangantur leges, nec arma capiuntur, niſi meo nutu, vt meis vltis iniuriis in ocio tandem & pace viuatur. Quòd autē arma etiam illa, quæ contra me atq; iuſtitiam videntur ſumi, ſine aliqua mea iuſtitiæq; particula nequeant, ne temporis quidem momento conſiſtere, nemini dubium ſit. Latrones enim & piratę, niſi Archipiratæ ducisq; ſui mandatis legibusq; paruerint, & niſi ille viciſſim, cùm aliis in rebus tum in partienda præda, eos iuſtè legitimeq; tractauerit, confeſtim eorum coniunctio diſtrahatur neceſſe eſt. Quòd cùm ita ſit, cumq; militaris hęc ars, præſtantiſſima, mihiq; maxima neceſſitudine coniuncta arma & capiat, & tractet, & deponat ad arbitriū meum, nolite eam vos illius amatores

inuitam

inuitam aduerſum me concitare. Videtis, commilitones optimi, quomodo Regina noſtra tumultum iſtum periculoſum oratione authoritatèque ſua ſedauerit,

" Ac veluti magno in populo cùm ſępe coorta eſt
" Seditio, ſæuitq́; animis ignobile vulgus,
" Iãq; faces, & ſaxa volãt, furor arma miniſtrat,
" Tum pietate grauẽ, ac meritis ſi forte virũ quẽ
" Conſpexere, ſilent, arrectisq́; auribus aſtant,

ſic aduerſarii noſtri Reginam Legem conſpicati indignationem ſimul & arma depoſuerint. Quo circa cùm arma nobis nihil obſuerint, quinetiam pro nobis prompta parataq́; ſint, nihil eſt quòd Eloquentiæ verba timeamus. Eloquentia enim ſola iam reſtat, cuius ſtudioſi valde ſe iactitant, eamq́; tum domi, tum foris, tum in pace tũ etiam in bello regnare contendunt. Quibus ego vt vnico verbo reſpondeam, dico, eam quicquid habet dignitatis & virium, id omne ferè ex vberrimis legum fontibus haurire. Niſi enim ea, quæ loquitur, vera, iuſta, legitima, & propterea etiã vtilia, atq; facilia eſſe perſuaſerit, nihil vnquam eorũ, quę volet, aſſequetur. Quare nec Eloquẽtia, nec Militia, nec Medicina, nec Philoſophia, ac multo etiam minus aliæ artes & ſcientiæ quicquam habent, quod non aut Reginæ noſtræ acceptum referre debeant, aut item in ea, ac multo

Digitized by Google

quidem nobilius, & excellentius inueniatur. Etenim ſi Philoſophia Deorum eſt munus, ſi Apollinis inuentum Medicina, Lex ſummi non modò inuentum & munus eſt Iouis, ſed mens ipſius & recta ratio, tanto Philoſophia præſtantior, quãto alicuius muneris ratio & mens ipſius largientis antecellit, tantumq; Medicinam dignitate ſuperans, quanto Iuppiter ipſe, cùm Apollini, tũ reliquis Diis anteſtat. Si hominum mores colit Philoſophia, ſi corporum morbos Medicina curat: Lex & animos, & corpora, & fortunas hominũ inſtituit, tuetur, atq; conſeruat. Si legis iuſſu vrbes oppugnat, diripit, euertit ars militaris: eas Lex ipſa conſtituit, auget, & exornat. Si hominibus & malis, & bonis horrorẽ incutit illa: hæc terrorem improbis duntaxat, bonis autem lætitiam & quietem præbet. Si perſuadet hominibus Eloquentia: Lex non ſolum perſuadet, ſed etiam imperat. Si illa affectus mouet: hæc ſedat, euellit, aut etiam punit. Deniq; ſi & iſtæ, & cæteræ artes, ac ſcientiæ mortalibus diuitias, & honores pariunt, Iuriſperitia diuitias & opes, honores & dignitates elargitur. Poſtularet hic locus, vt recenſerem, quam multi huiuſce artis auxilio tum ſupioribus, tũ noſtris tpibus incredibiles diuitias atq; opes ſint aſſecuti. Quã multi hac vna Iuris, & legũ ſciẽtia cõmẽdati ad eos honorũ & dignitatũ

gradus

gradus peruenerint,quibus nihil amplius,nihil ſu-
blimius optare quiſquam aut antea potuit, aut in
pręſentia pōt. Verùm quoniā hęc à me poſtulātur
tm̄modo nō etiā flagitātur,vt breuitati cōſulā,ea
ſilētio pręteribo. Hęc igitur,et alia multa Iuriſpru
dentię cū aliis diſciplinis ita cōia ſunt, vt multo
tamen cumulatiora in Iuriſprudentia reperiātur.
Illud aūt legū amplitudinis propriū,quòd aliarū
artium nulla, nec magna, nec mediocris, nec mi-
nima eſt, quę noſtra ſublata,aut in pretio eſſe,aut
ſtare poſſit omnino. At quauis reliquarum adē-
pta nihilominus Iuriſprudentia cōſiſtet. Vbi enim
,quęſo, artes, quæ vel manu, vel animo,vel vtriſq;
coluntur, & exercentur, conquieſcent, ſi cętus ho-
minum auferantur, qui ſine legum adminiculo
eſſe nulli queunt? Vbi Eloquentiæ vires oſten-
det orator,qui,ſi audientium corona deſeratur,ne
verbum quidem eloqui poſſit? Exquibus,aut cōtra
quos, aut qua tandem diſciplina Imperator exer
citum comparabit? quibus aut Medici, aut Phi-
loſophi, aut aliarum artium,& diſciplinarū periti
operam præſtabunt ſuam? ſi ablatis legibus nullì
ſint homines vnum in locum congregati? Ita pꝰ-
fectò res habet, vbi bonis & ſtudioſis nullus ha-
betur honor,vbi nulla ſunt premia, ibi nullę ſunt
artes, nulla ſtudia. Honos autem & præmia non
ſunt,vbi nō eſt aliqua hominū multitudo, aliqua

Digitized by Google

ciuitas, quæ quidem nuſquam ſine legibus vnquã conſpecta fuit. Quamobrem ſi tollantur leges, artes omnes intercident neceſſariò. At ſi vel eloquentiam, vel Philoſophiam, vel Medicinam, vel rem Militarem, & quamlibet aliarum artiũ ſuſtuleris, non tamen iccirco leges auferentur. Hic ego facilè poſſem oſtendere vbi, & quo tempore, & à quibus ſingulæ artes inuentæ, auctæ, perfectæq; fuerint. Facilè poſſem declarare, poſtquam inuẽtæ ſunt, quę ciuitates aut Philoſophos, aut Oratores, aut Medicos, aut deniq; ſingularum aliarum artium peritos vel tanquam minus vtiles non acceperint, vel iam acceptos vti pernicioſos excluſerint, & repudiarint, cùm ipſa Legũ Maieſtas nonmodò in omnibus ciuitatibus & locis ſemper regnauerit, verumetiam, vt paulo ante declarauimus, multo ſenior ſit, quàm ætas populorum & ciuitatum, quippe quæ ſit æqualis illius cœlum & terras tuentis & regentis Dei. Verùm & anguſtiis temporis excludor, &(vt ingenuè fatear) in hoc cõtẽtionis pelago, inter inuiſos iſtiuſmodi comparationis ſcopulos inuitus iampridẽ verſor, quo quidem in curſu quanuis ita me geſſerim, vt nulla contumeliarum procella, nullo maledictorum turbine, nullis cõuiciorum ventis abreptus aliarum diſciplinarum naues eliſerim, tamen tempus iam eſt, vt contrahantur vela, vt è

Syrtibus

Syrtibus emergat oratio, & artium ac facultatũ omnium veluti variis mercibus onuſtas naues ſic in tutum deducat locum, vt Regina noſtra cæteris comitantibus prima nobilitatis portum teneat. Abſit igitur, vt nobis authoribus ſe ſe mutuis contumeliis lacerent, aut inter ſe vlla in re diſſentiant amplius diſciplinæ, cùm meo quidem iudicio ita natura coniunctæ ſint, & amabiliſſimo quodam nodo copulatæ, vt, ſi non vnica tantum diſciplina eſt, quod quidam probare conati ſunt, vnica certè ex omnibus diſciplinis tãquam ex aureis fabrefactis annulis cathena rerum omniũ longè pretioſiſſima cõficiatur. Agnoſcat igitur & oſculetur filiam pulcherrimam pulchra mater artium Philoſophia, ſororẽ formoſiſſimam formoſæ reliquæ complectantur diſciplinæ, omnesq; ſimul ingenti triumphent gaudio, cùm & illa filiam, & hæc ſororem videant in æterno regni ſolio conſtitutam. Cui vt Reginæ ſapientiſſimæ nonmodò mortales, ſed immortales omnes libentiſſimis animis obtemperant. Hanc illæ vniuerſum orbem ſuo regentem & gubernãtem imperio, opera, ſtudio, conſilio, induſtria, diligentia iuuent. Hæc verò illis quietem, pacẽ, tranquillitatem, honores, diuitias, opes, omnia deniq; commoda largiatur, atq; conſeruet. Facilè ſentio, viri præſtantiſsimi, me, dum de legum

Digitized by Google

dignitate diſſero, nonnulla dixiſſe, quæ eas per-
vtiles, ac neceſſàrias eſſe demonſtrant. Sic enim
earum nobilitas, vtilitas, ac neceſſitas inter ſe cō
nexę iunctæq; ſunt, vt de vna vix loqui poſſis, quin
de cæteris item verba facias. Qua tamen ex re in
duabus reliquis partibus id cōmodi nobis acce-
det, quòd & mihi dicendi, & vobis audiendi mi
nuetur labor, in his enim multo iam erimus bre-
uiores. Siquid eſt igitur (vt iam de legum vtili-
tate pauciſſima delibemus) qđ & publicis, & pri-
uatis in rebus, & vniuerſæ reip. & ſingulis ciui-
bus, in iis quæ & ad animum, & ad corpus & ad
res externas pertinent, tum multas tum etiā ma-
gnas afferat hominibus commoditates, illud ego
vtile in primis iudicandū exiſtimo, & aut nuſquā,
aut in iure & legibus contineri. Quod quidē vt
manifeſtè pateat, expedit ſcire, nos ad iuſtitiam
eſſe natos, quæ quidem virtus excellentiſſima, cū
omnes in ſe virtutes contineat, tantum habet ho-
neſtatis ſplendorem, vt non modò non Heſperus,
non Lucifer, quemadmodum ſcribit Ariſtoteles,
ſed ne ipſe quidem Sol æquè ſit admirabilis.
Hanc virtutem vt noſtræ felicitatis, & bonorum
omnium cauſam nobis colendam proponunt le-
ges. Huic contrariam iniuſtitiam, vt miſeriæ,
& malorum omnium originem omnino fugien-
dam exclamant. Quod vt fieri à nobis poſſit, quid

in quaq;

Digitized by Google

in quaqꝫ re tam Diuina, quàm humana iuſtum, inIuſtumue ſit, docent. Iuriſprudentia enim, vt tradit Vlpianus, eſt Diuinarum, atqꝫ humanarũ rerum notitia, iuſti atqꝫ iniuſti ſcientia. Sua nobis præterea dant præcepta, quibus inſtituimur, honeſtè viuere, alterum non lædere, ius ſuum cuiqꝫ tribuere. Atqꝫ ad hæc præſtanda vt nullus non excitetur, imperant, vetant, permittunt, & puniunt, ea nanqꝫ, vt Modeſtinus ait, virtus eſt legum. Quæ quidem virtus quandiu viget, tandiu religio colitur, ſeruatur fides, Iuſtitia floret, quibus ex virtutibus viri pii atqꝫ boni & nominantur & ſunt. Tandiu legitimi creantur magiſtratus, qui legis miniſtri ſunt atqꝫ interpretes, vel potius lex ipſa loquens, tandiu fœdera, ritus, bonæ conſuetudines obſeruantur. Inde contractuũ celebrandorum ratio deprõpta eſt, inde pacta cõuenta ſeruanda, inde mandati fines non egrediẽdos eẽ didicimus, inde ſumma tutelarũ cura, inde tãta dotiũ habetur ratio, quibus efficitur, ne viduarum, ne pupillorũ bona diripiantur, aut dilapidentur, vt illis etiam conſultum ſit, qui ſibi aut per ætatem, aut aliam ob cauſam proſpicere nequeunt. Inde hæreditatũ, inde legatorũ, & omniũ vltimarum voluntatum diſpoſitio manat, & integra inuiolataqꝫ conſeruatur, vt non ſolùm dum viuimus noſtris tutò fruamur rebus, ſed etiam

Digitized by Google

defuncti earum domini eſſe & poſt obitum ad-
huc viuere videamur. O legum virtus admira-
bilis, ò incredibilis potentia, ò vis cùm amabi-
liſſima, tũ maximè formidabilis, quę facis vt ho-
mines, qui animi & corporis viribus pręſtant, æ-
quo cũ imbecillis, & infimis iure viuant. In eos au-
tem qui arrogantia, qui flagitiis, & ſceleribus,
aut publicam, aut priuatam alicuius quietẽ per-
turbant, ſtatim aĩaduertis. Tu enim eos, qui De-
um, aut reliquos coelites maledictis petunt, qui
male ſentiunt de religione, qui periuria, aut ſacri-
legia, aut inceſta flagitia committunt, vlciſceris.
Tu proditores, peculatores, ambitus, & maieſta-
tis reos ſupplicio afficis. Tu latrones, homici-
das, adulteros, fures coërces. Tu nulla denique
ſcelera, nulla flagitia, nulla peccata, quæ aut pu-
blicè aut priuatim obeſſe poſſint, impunita dimit-
tis, inulta derelinquis. Hinc pueri, puellę matres
familias, pudicitia, continentia, caſtitate, mari-
tos, & parentes lætiſſimos reddunt. Hinc ciues
pietate, religione, bonis moribus ornati bene bea
teq́ꝫ viuunt. Hinc omnes ſecuri, & incolumes in
vrbe, in agris, domi, & peregrè degunt. Hinc
priuatæ domus florentes atqꝫ opulentæ fiunt.
Hinc ciuitates amplæ, Hinc reſp. beatæ, Hinc
regna fœliciſſima. Etenim dum legis paremus im-
perio, liberi beatiq́ꝫ ſumus. Quod quidem imperiũ
ſi negligatur,

Digitized by Google

ſi negligatur, protinus religio, pietas, boni mores intereunt: audacia, libidine, furtis, rapinis, homicidiis, vitiis, & facinoribus omnia confunduntur. Nec ſolum priuatorum fortunæ, ſed ciuitatum, regnorum, rerum publicarum opes dilabũtur & corruunt. Pauliſper hic, obſecro, viri ſapientiſſimi populos, ciuitates, regna, Reſpublicas, quæ aut ſunt, aut fuerũt, vobis ante oculos collocate. Ea profectò reperietis omnia, dum iuſtitiam colunt, vt imperãt leges, bonis omnibus aucta, cumulataq́; viguiſſe. Hac verò neglecta, quædã imminuta, nonnulla labefactata, multa collapſa penitus cõcidiſſe. Recẽtia & propinqna poſſem vobis exempla commemorare, ſed ſatius eſt, vt dum ego pauca quædam vetera breuiter percurro, ea vobis ipſi in memoriam reuocetis. Atq; vt ab inſigni ſtatim exemplo principium ſumam, violarũt olim cœlites illi nequã duce Lucifero legem eã, qua Deum Optimum Maximum cauſam authoremq́; ſuum debebant agnoſcere, vereri, atq; obſeruare. Quare magnum ac memorabile prælium in cœlo geſtum eſt, quo turpiter victi ſuperbi, atq; tumentes illi de cœlis in tartara deiecti ſunt. quem quidem lapſum Luciferi Homerus etiam, ſiue naturæ beneficio, ſiue Prophetarum ſcriptis admonitus agnouiſſe, & pulcherrimis carminibus celebraſſe mihi videtur, cum Aten è cœlo de-

Digitized by Google

pulſam à Ioue ita commemorat:

Αὐτίκα δ' εἷλεν ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο
Χωόμενος φρεσὶν ᾗσι, καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον,
Μήποτ' ἐς Οὔλυμπόν τε, καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
Αὖτις ἐλεύσεσθαι ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται.
Ὣς εἰπὼν ἔρριψεν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Χειρὶ περιστρέψας, τάχα δ' ἵκετο ἔργ' ἀνθρώπων.

Violarunt legem primi parentes noſtri, cùm decerpta ex arbore poma contra Dei mandatũ comederũt. Quapropter primum illud iudiciũ cõſtitutum, quo citati, auditi damnatiq; rei, ſerpẽte etiam qui perſuaſerat caſtigato, ex amœniſſimo illo deliciarum loco in miſerabile hoc exilium cum omni poſteritate pulſi ſunt. Violauit legem, ſi nondum in tabulis ſcriptam, at in animis certè inſculptam genus humanum, cùm adhuc adoleſceret. Quamobrem impulſus eſt Deus, vt maximis aquarum eluuionibus vniuerſum orbem terrarum obrueret. Violarunt legem, quæ caſtè iubet pudiceq; viuere, illæ verè miſeræ ciuitates, quæ ſe nefando libidinis vitio polluebant. Itaque concitato cœlitus incendio conflagrarunt. Ex quo in eiuſmodi nefarium ſcelus atque flagitium hodie quoque id ſupplicii genus vſurpatur. Atque, vt ad recentiora paulatim accedam, quid coëgit ſuperbum Ilium decennio à Græcis obſeſſum, miſerèque vexatum funditus tandem concidere, niſi violatæ à Paride, dum

Helenam

Digitized by Google

Helenam rapit, hoſpitii leges? Quid fuit in cauſa, vt primi Romanorum Reges exigerentur, niſi violatæ à Sexto Tarquinio, dum Lucretiæ pudiciſſimæ ſtuprum infert, continentiæ leges? Quid Decemuiris imperium abrogauit, niſi violatæ ab Appio, dum nimio Virginiæ amore inſanit, pudicitię leges? Iuſtitię, legumq; contẽptio & Hebręorum potentiam diſſoluit, & Aſſyriorum opes fregit, & Ægyptiorum regnum ſuſtulit, & Medorum, atq; Perſarum imperium euertit, & Gręcorum vim omnem deleuit. deniq;, vt ad illud aliquando veniam imperium, quo nihil vnquam ſol maius, nihil nobilius vidit, nonne illa ipſa Romanorum Reſp. vnde leges in omnes terras diſſeminatæ nunc etiam latiſſimè dominantur, & vigent, quandiu iuſtitiam coluit, & leges ſuas obſeruauit, tandiu floruit, tandiu fines imperii ꝓpagauit, tandiu orbis terrarũ dominatũ obtinuit? At vbi iuſtitiã negligere, leges cõtemnere, ius aſpernari cœpit, ſenſim primũ imminui, mox inclinari, tãdem funditus ruere viſa eſt. Iuſtitię, Iuſtitię profectò, legumq; deſpicientia populis, ciuitatibus, regnis, imperiis, Rebuſpublicis omnibus, quæ corruunt, interitum atq; perniciem affert. At iuſtitię cultus, & legum obſeruantia, vel perpetuitatis ſunt cauſę. Cur enim cœlum hoc tam variis & aſſiduis motibus omnia ſuauiſſimo quodam

Digitized by Google

concentu demulcens, complexuq́; ſuo omnia cõtinens, omnia fouens, nihil vnquam pulchritudinis amittit, nihil poteſtatis, ſed idẽ ſemper eſt ac ſempiternum? Cur? quia contra naturam nunquàm obnititur, quia præſcriptas ſibi leges à Deo nunquam deſerit, nunq̃ negligit. Cur omnium feliciſſima hæc Venetorum reſp. qua cœlũ ipſum nihil ſimilius ſibi, nihil pulchrius, nihil illuſtrius omni fauore beneuolentiaq́; complectitur, pluribus iam ſæculis, quàm vlla vnq̃ alia floruit? Cur in dies augetur? Cur ſapientium iudicio perpetua æternaq́; futura eſt? Cur? Quoniam iuſtitiæ amantiſſima, legumq́; obſeruãtiſſima & fuit, & eſt, & Diis iuuantibus ſemper erit. Cùm igitur ad pacem, ad trãquillitatem, ad bene beateq́; viuẽdum tantum afferat commoditatis Iuſtitiæ, Legumq́; cultus, & obſeruantia, cumq́; tam priuatim, quàm publicè tumultus, ſeditionis, belli, direptionum, incendiorum, omnium deniq; calamitatum cauſa ſit legum contemptio, & diſpicientia, facilè apparet quàm commoda, quàm frugifera, quàm ſalutaris, atq; vtilis ſit illarum cognitio & ſcientia, apparet etiam, quantopere ſit neceſſaria. Quare cùm tertium illud caput nobis reliquum ſit, vt leges eſſe neceſſarias oſtendamus, huic etiam parti breuiſſimè ſatiſfaciamus ac peroremus. Neceſſariũ aliquid cuipiam eſſe credi-

mus,

Digitized by Google

mus, ſine quo illud, cui neceſſariũ eſt, aut omnino eſſe, aut ita eſſe non poteſt. Qua quidem ratione & cœlis vt moueantur, cœlitum pręſentiam neceſſariam dicimus, & cœlorum motum noſtris his rebus adeò neceſſariũ eſſe intelligimus, vt illis quieſcentibus, nec generari, nec augeri, nec moueri, aut viuere vllo modo quicquam poſſit. Leges igitur ita neceſſarias exiſtimamus, vt earum vinculo ſublato nec cœli, nec elementa, nec res humanæ, nec Mũdus ipſe queat cõſiſtere. Finge enim mihi id, quod olim Philoſophi quidam aſſerebãt, vel potius ſomniabant, terram, cui à ſapientiſſimo illo opifice perpetuò quieſcẽdi lex eſt impoſita, ſolam continẽter moueri. Finge cœlos, repudiata lege illa, qua æternis certiſq; motibus circunuerti debẽt, aut prorſus quieſcere, aut ita moueri, vt et primum cœlum, cuius ampliſſimo ambitu cuncta comprehendũtur, pluribus motibus, & reliqui vno tantum motu circunuoluãtur. Finge ſtellas, & quæ cœlo confixæ ſunt, vagari, & quæ vagari videntur contra præfinitam legem incedere. Finge elementa neglectis naturæ legibus ſedes inter ſe commutare, vt ignis aquam attingat, aërem terra complectatur, nonne maxima primum perturbatio, mox etiam interitus omnium conſequetur? Idem rebus humanis, ſi leges auferantur, vtiq; continget? Non enim aër,

non ignis,nõ ſolis, aliorumq́ ſyderũ motus & lumẽ homini magis neceſſaria ſunt, quàm ipſę leges. Tolle legem illam, quã animis noſtris inſcripſit Deus, vt nos mutua beneuolentia proſequamur,vt ad ſocietatem, ad amicitiã,ad ęquitatem, ad virtutem omnem tam prõpti ſimus,nulli vſquam erũt hominum cætus,nullę ciuitates. Tolle ciuitatibus iam conſtitutis ciuiles has leges,quæ à prima illa, ęternaq́ lege,de qua multa diximus, ſic ortę ſunt, vt ad eam tanq̃ ad certiſſimam ęquitatis regulã ſemper dirigi debeant, pax primùm, & quies,tũ pietas,religio,boni mores,mox publica,priuataq́ munera, & officia ruent, & cõcident. Statim aũt odiũ,inimicitię,ſeditiones,bella,cędes,direptiones, incendia, vitia, & facinora omnia conſurgẽt,quibus & priuatę domus, & ciuitates euertentur, & neceſſariò delebitur genus humanũ, quod quidẽ ſi vniuerſum vt corpus vnum conſideretur, in eo leges animi vicẽ & locũ obtinebũt, vt quẽadmodũ ſingula hominum corpora ſine animo, ſic genus ipſum humanum ſine legum imperio nec viuere, nec partibus ſuis, vt neruis, ac ſanguine, & mẽbris vti poſſit. Quamobrem cùm nec vlla domus, nec ciuitas, nec reſp. nec ipſe deniq́ mundus, aut rectè conſtitui, ac gubernari, aut omnino eſſe ſtareue queat ſine legum præſidio, cuiuis manifeſtum ſit,eas eſſe per quàm neceſſarias. Cũ igitur

legum

legum maieſtas adeò ſublimis amplaq́ꝫ ſit, vt ea ni-
hil antiquius, nihil honeſtius, nihil nobilius re-
periatur, ſic autem vtilis, vt maximas atqꝫ innu-
merabiles hominibus tum publicè, tum priuatim
commoditates ſubminiſtret, ita porrò neceſſaria,
vt ſine illius ope non domus, non ciuitates, non
reſp. cæ. non orbis ipſe conſiſtere valeat, quàm pꝛę
clare nobiſcũ eſſe actũ debemus exiſtimare, optimi
atqꝫ ornatiſſimi Iuuenes, qui aut natura ipſa cōcita
ti, aut amicorum adducti conſiliis, aut parentum
& propinquorum voluntate compulſi, præclariſ-
ſima, & à nullo vnquam ſatis pro dignitate lau-
data iuriſprudentię ſtudia complexi ſumus: cùm
illis pręſertim nobis ſit incũbendũ in hac pręſtã-
tiſſima ciuitate, quę q̃dẽ mihi nō ab Antenore, ſed
vt alteræ Athenæ ab ipſa Pallade ædificata, &
Muſarum omnium auxilio atqꝫ opera videtur cō-
ſtructa, atqꝫ exornata. A deò, ſiue clementiam cœ-
li, & mirificam aëris bonitatem, ſiue rerum omniũ
copiam, ſiue ædificiorum commoditatem, ſiue
Gymnaſii tum magnificentia, tum pulchritudi-
ne omnibus cæterarum ciuitatum Gymnaſiis an-
teponendi dignitatem, ſiue ciuium ſuauiſſimos
mores, animosq́ꝫ cùm in omnes, tum erga hoſpi-
tes & bonarum artium ſtudioſos propenſiſſimos
atque humaniſſimos ſpectes, ſtudiis apta & cōmo-
da eſt. Accedit huc q̃d hoc tp̃e feliciſſimis auſpiciis

Clariſſimorum virorum HERMOLAI BARBARI, & IOANNIS CAPELLI gubernatur, qui cùm ſint vigilantiſſimi, integerrimi, diſciplinarum amātiſſimi, omni diligentia in eam curam incumbunt, vt amotis omnibus impedimentis tranquillè poſſimus ſtudiis noſtris operam nauare. Ad hæc Gymnaſii Moderatorem habemus non minus virtute, doctrina, & ſapientia, quàm genere, natione, & patria nobiliſſimum D. FEDERICVM DINVM, qui cùm veſtro omnium conſenſu ad eiuſmodi dignitatem electus ſit, & quantam prouinciam ceperit, pro ſua prudentia planè nouit, & pro ſapientia ſingulari ſic eam videtur adminiſtraturus, vt eius memoria apud omnes futura ſit immortalis. Quid? quod eximia huius Illuſtriſſimæ reip. liberalitate conſpicimus hic ex variis regionibus lectiſſimos viros in omni artium ſciētiarumq; genere præſtantiſſimos & excellentiſſimos, quorum labore, conſilio, eruditione facilè poſſumus ad ſummum atq; optatiſſimum diſciplinarum omnium faſtigium peruenire? Vt enim prætercam Lazarum Bonamicum, Ioannem Faſeolum, Bernardinum Tomitanum, Petrum Catenam, Hieronymum Stephanellum, Gabrielem Albertum, Abbratium, Marcum Antonium Genuam, Oddum, Fracantianū, Baſſianū Landum,

Aloyſium

Aloyſium Bellacatum, Ioannem illum Baptiſtam Montanum, Bargem, Girellum, Hadrianũ, Sixtum Medicem, qui in eloquentia, in Dialecticis, in Mathematicis, in Philoſophia, in Medicina, in Theologia erudire nos poſſunt, et ad capeſſenda Iuriſprudentiæ ſtudia magis inſtructos & idoneos reddere. vt hos, inquam, & alios multos à me, niſi temporis anguſtiis prohiberer, collaudandos, omittam, & noſtrorum nonnullos enumerem, quodnam vſquam Gymnaſium eſt, quod aut pluribus, aut ſapientioribus floreat Iuriſprudentiæ profeſſoribus? In quibus ſingulis cùm omnes animi dotes reperiantur, quis eas in cunctis tanquam perfecto quodam in corpore, & numeris omnibus abſoluto dubitet inueniri? Etenim cùm in tradẽdis diſciplinis requiratur memoria, ingenium, morum facilitas, perpetuum ſtudium, eloquentia, ſciẽtia, ſubtilitas, eruditioni iuncta facundia, benignitas, elegantia, labor, acumen, ſanctitas, experientia, cumq; hæc omnia in ſingulis noſtris doctoribus ſint, ſuis tamen quiſq; pręcipuis ſplendet ornamẽtis. Quid enim Bernardino Bõſio copioſius? Quid Portio ingenioſius? Quid Zabarella ſuauius? Quid Peruſino ſtudioſius? Quid Marco Mantua eloquentius? Quid Cagnolo doctius? Quid Torniello ſubtilius? Quid Gribaldo vel facũdius, vel eruditius?

Digitized by Google

Quid Leone officioſius? Quid Catharo elegãtius? Quid Hieronymo laborioſius? Quid Guidone acutius? Quid Ruggerio ſanctius? Quid Tiberio peritius? O' nos igitur verè fortunatos, quibus non eſt neceſſe cum magno vitæ diſcrimine ad Doctores accedere, vt olim Euclidi, cui, vtpote Megarenſi, cùm Athenas proficiſci capitale eſſet, audire autem Socratem cuperet, muliebri veſte indutus de nocte furtim ad eum ſe cõferebat. Non varias, & lõginquas adire, ac peragrare regiones cogimur, vt olim Pythagoras Memphiticos vates: Ægyptum, & Magnã Græciam Plato: Apollonius Perſas, Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, Brachmanas: vt alii multi, qui ſciẽtiæ cupididate inflammati nullis vnquam laboribus, nullis periculis, nullis ſumptibus pepercerũt. nos enim in hac celeberrima, & copioſiſſima ciuitate, in ſummo otio, tot cùm omnibus ſcientiis, tũ Iuriſperitia in primis excellẽtes viros quotidie diſſerentes poſſumus audire: quot mille ciuitatibus ornandis, erudiendiſq; abundè ſufficerent. Quo magis etiam nobis cauendum eſt, ne cùm omnia nobis & à Deo, & ab hominibus ſuppeditata ſint, nobis ipſi de fuiſſe videamur. Hanc autem infamiam facilè effugiemus, ſi ſæpe nobiſcum animo reputabimus, quo nos conſilio, qua propinquorũ, & amicorum ſpe, patria, parentibus, amicis, &

aliis rebus chariſſimis relictis huc contulerimus. Si voluptatibus illis nos irretiri non patiemur quæ Græco illo verſiculo continentur:

Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος.

Quòd ſi nos aliquando ſtudiorum, vt fit, ſatietas capiet, conſideremus Iuriſprudentiæ diſciplinam eſſe velut arborem quandam pulcherrimam, quę cùm radices amaras habeat, fructus tamen dulciſſimos gignit. Nobis Pythagorę literam, & verſus illos Heſiodi omnium ſuauiſſimos atq; elegantiſſimos ante oculos proponamus:

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Quibus verſibus admonemur, virtuti & ſcientiæ ſudorem à Diis immortalibus eſſe propoſitum, viamq; quæ ad eas ducit, longam, & initio quidem arduam, ac difficilem eſſe. At vbi paululum proceſſerimus, tum planiſſimam, & facillimam, atq; amœniſſimam apparere. Ac, ne labore feſſi animis deficiamus, audiamus tandem aliquando Reginam noſtrã, quę de ſummo illius ab Heſiodo deſcripti montis vertice, vel de cœlo potius materna quadã beneuolẽtia nos intuens manus porrigit, vt afflictos recreet, iacentes erigat, mœſtos conſoletur, & amabili voce, ac ſuauiſſimis eiuſmodi nos

verbis alloquitur, & ad ſe colendam inuitat. Ego
ex ore Dei altiſſimi prodii, prima omnium, quę
ab eo genita procreatáq; ſunt, ab illo ſæculis oĩ-
bus antequam quicq̃ faceret, ordinata ſum. Non-
dum erant abyſſi, & ego iam cõcepta eram. Nõ-
dum fontes aquarum eruperant, nondum mõtes
graui mole conſtiterant. Ante colles ego partu-
riebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina, &
cardines orbis terrarum. Quãdo cõſtituebat cœ-
los, & aureis ſtellarum flammis exornabat, aderã.
Quãdo iaciebat fundamẽta terrę, Quando certa
L E G E & gyro uallabat abyſſos, Quãdo ęthera
firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum,
Quando circundabat mari terminum ſuum, &
L E G E M ponebat aquis, ne tranſirent fines
ſuos, cum eo eram ego cuncta componens, & di-
rigens. Ego nunc & in cœlis, & in omni gente &
populo principatum obtineo. Mihi tam morta-
les quàm immortales, tam excellentes quàm hu-
miles obediũt. Per me Reges regnant. Ex meis
fontibus legum conditores & iudices ſuas ad ſa-
lutem ciuium, ciuitatum incolumitatem, vitamq;
omnium quietam & beatam leges hauriunt, re-
ctéq; iudicant. Per me principes imperant, per
me Iuſticiam adminiſtrant, & colunt. Doctrina
mea melle dulcior eſt. Mecum ſunt opes & glo-
ria. fructus mei argento, & auro, & omni lapidi

pretioſo

Digitized by Google

pretioſo ſunt præferendi. Longitudo & tranquil-litas vitæ in dextera mea, & in ſiniſtra diuitię & dignitates. Quæ ad me ducunt viæ, pulcherrimę ſunt ac tutiſſimæ. Quamobrem, filii dulciſſimi, audite me, & præcepta mea memoriæ commendate. Felices vos ſi audiueritis me, & ad fores meas quotidie vigilaueritis. Inueniēt enim me omnes, qui volent, quicq; me verè atq; ex animo diligent. Qui autē me inuenerint, honores, diuitias, opes, quietē, & tranquillitatem inuenient. Qui mandatis meis paruerint, beatiſſimi quę cōcupiuerint omnia cōſequentur. Diuinam mortalium & immortalium omnium REGINÆ LEGIS vocem audiuiſtis, ſpectatiſſimi magiſtratus, viri doctiſſimi, optimi ac nobiliſſimi adoleſcētes. Quare cùm nefas ſit, hic amplius vel loqui, vel loquentem audiri mortalium quenquam, valete omnes, & ſapientiſſimis eius amantiſſimisq; conſiliis & iuſſis obtemperate.

Dixi.

Digitized by Google

IOANNES MA-
rius Bagnaia

Vis ſancta Legis, copula adnectens ſacra
Mortalium genus Deo,
Splendore cuius extitit latens nefas,
Quod iam feſellerat diu.
Tu diſſolutos territans, monens probos
AEquis coërces finibus,
Potentiorumq; è cruentis faucibus
Infirmiores eripis.
Regina ſanè (ut ille dixit) omnium
Infra uigentium & ſupra.
Te laude, quanta ab ore mortali poteſt,
ZINVS decorauit meus.
Sed ipse grandem, Lex, tuis ex laudibus
Fructum pietatis tulit.
Probata ſic eſt dictio, ut neſciam, uter
Illuſtrior factus ſiet.

Digitized by Google

Digitized by Google